



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

De doctrina & traditione sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

more profanis manibus temerare atq; inestare profanum. Immo verò nullus adeò impius, atrox, inhumanusq; sit, ut nò inanimata templi vasa, sed ipsum templum, Virginum scilicet sacrarium corpore ipsamq; omnium preciosissimam animam, in templi Dei sacratissimi donarij vice locatam, libidinibus, barbarica immanitate succendat.

DE DOCTRINA ET TRADITIONE SANCTORUM PATRUM ECCLESIAE CATHOLICAE.

Non minus nostro hoc ævo contentioso, Apollonius atq; olim nos admonet ac hortatur ut steterimus et quas accepimus, siue dicto siue scripto, traditiones, eos verò, quibus hæ displicent, vitari morari iubet idem, rixosis Ecclesiae consuetudinibus obiiiciens: Si quis inter vos, inquit, videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habere, quae Ecclesia Dei. Atq; hæc rectè quidem Patrum nam cōsuetudo ratione inducta si in civili vita legis habet, iuxta l. diuturna. ff. de legib. quæ in causis diuinis. In quibus. n. scriptis legibus utimur, id custodiri oportet, quod moribus et consuetudine inductum est. l. de quibus. ff. eod. tit. et in rem retinendum esse fidelissime vetustatis Imperator ait in l. testamenta. C. de testam. Multa scriptura in Ecclesia Dei seruantur, quorum si legem scripturam nullam inuenies, ut cum uariis non haud ineptè dici queat, non omnium quæ a maioribus

Consuetudo
vim legis ha-
bet.

nostris constituta sunt. rationem reddi posse. l. non
 omnium. ff. de legib. Merito itaq; Apostolus iubet,
 ut subtrahamus nos ab iis, qui non secundum tradi-
 tionem maiorum ambulant, quorum præcepta mini-
 me contemnenda sunt. l. 1. ff. de non. op. nunc. neq; fa-
 cile recedendum est ab iis quæ maioribus nostris pla-
 cuerunt. l. si adibus. ff. de dam. infect. Antiqui enim
 (ut Baldus ait) non fuerunt fatui, neq; dementes. si-
 mulq; exoptat nos tales esse quales illi fuerunt, quorū
 vestigia sequenda esse Iustinianus monet in l. maxi-
 mum viuum. C. deliber. præter. atq; in omnib. porro
 legibus huius capituli Imperatores volunt, non modò
 Apostolorum, verum etiam eorum successorum, san-
 ctorum scilicet Patrum doctrinam Christianis se-
 quendam esse, & contra eam nihil planè confingen-
 dum, idè Iustinianus leges pro fide catholica ferens,
 Patres se imitari gloriatur, idemq; fit à cæteris Impe-
 ratoribus. Item Iustinianū doctrina Patrum edoctū
 hereticorum argumenta refutare. Item sanctorū Pa-
 trum Doctorūque Ecclesiæ traditionem per omnia
 sequendam, & huic refragantem anathemati subijci
 posse. Maximam Patrum esse auctoritatem, eorum-
 que traditionem atq; canones nō solum vim legis ha-
 bere, sed etiam Imperatorum leges antecire. Ideoque
 maiori studio colendas obsecrandasq; & diuino iudi-
 cio obnoxios esse, qui eas transgrediuntur violantue.

1. Theff. 4.

Argumētum
capitis.

IUSTINIAN. IMP. IN L. V. C. DE
 sanct. trinit. & fid. Cath. &c.

CVM recta atq; irreprehensibilis fides, quam
 predicat sancta Dei Catholica & Aposto-
 lica ecclesia nullo modo innouationē recipiat,
 Aa NOS

Nō solum A-
postolorū, sed
etiam eorum
successorum
doctrinam se-
quendam ef-
se, Imperator
centet.

**NOS SEQUENTES SANCTORUM
APOSTOLORUM, ET EORUM, QUI
POST EOS IN SANCTIS DEI EC-
CLESIIIS CONVERSATI SVNT, DO-
GMATA, iustum fore existimauimus con-
stitis manifestum facere, qualiter de fide, quę
nobis est, sentiamus, insistentes & ad hæreses
traditioni, & confessioni sanctę Dei Ecclesię
Catholicę.**

IDEM IN L. VI. C. EOD. TIT. 6.
necessarium.

Imperator le-
ges pro fide
Catholica fe-
rens, Ecclesię
sacerdotes, id
est, Patres se
imitādos pro-
ponit.

NEcessarium esse putauimus tam hæresium
vanilequia & mendacia dissipare
quàm omnibus insinuare, quomodo autem
tiant sancta Dei & Catholica & Apostolica Ec-
clesia, aut prædicet **SANCTISSIMI PATRUM
SACERDOTES, QVOS ET NOS SE-
CVTI,** manifesta constituimus ea, quę fidei
nostrę sunt, non quidem innouantes fidei
(quod absit) sed coarguentes eorū insinuationes
qui eadem cum impiis hæreticis sentiunt. Quod
quidē & nos in nostri imperij primordiis pro-
dem satagentes cunctis fecimus manifestum.

IDEM IN EDICT. QVOD MISTIT
ad Ioan. Papam 2.

Nō solum di-
uinas scriptu-
ras, sed Patrū
quoq; doctri-
nam sequitur
Imperat.

**NOS AVTEM SEQUENTES DIVI-
NAS SCRIPTVRAS, ET SANCTORUM
PATRES, confitemur, quod Deus verbum
caro factus est &c. Et. Hęc itaque confessiones
super alias sancti Cyrilli de fide recta doctri-
nas, & hoc quod dictum est ab ipso, vnam na-
turam Dei verbi incarnatam suscipientes &c.**

Item.

hem. Sed cum per hæc conuincuntur, quod præter rectam Patrum doctrinam sibi confingunt vnam naturam seu substantiam Deitatis & carnis &c. *Ibidem quoque citat Iustinianus auctoritatem & traditionem sanctorum Gregorij Nazianzeni, & Basiliij. Et postea.* His ita demonstratis per sanctorum Patrum doctrinam, cessent qui numerum naturarum, quæ in Christo sunt, occasionem sui erroris faciunt, & earum differentiam numeri recusatione negando, confusionem introducere conantur. Quomodo enim non est necessarius numerus, quoad significandum differentiam naturarum, quæ in vnam substantiã vnitæ sunt, & non ad diuisionem per partes earum vsi sunt Patres? Et iterum. Omnes enim S. Patres consonanter nos docent, aliud esse naturã siue substantiam & formã, & aliud substantiam siue personã &c. *Item.* Hæc autem & EX DIVINIS SCRITURIS ET PATRVM DOCTRINA EDOCTI ad refutandos eos, qui confundunt & diuidunt diuinæ dispensationis mysterium, merito scripsimus, & non eò quod declaramus ea ex quibus est, & in quibus cognoscitur Christus, confusionem, vel diuisionem diuinæ dispensationi facimus. Et rursus. NOS AVTEM SANCTORVM PATRVM DOCTRINAM PER OMNIA SEQUENTES, & vnitate duarum naturarum, ex quibus Dominus noster Iesus Christus vnus sanctæ trinitatis, Deus verbum incarnatus compositus est, et sufficie-

Aa 2 bant

Contra Patrũ doctrinam nihil cõfingendum.

Patrum doctrina.

Patrum doctrina.

Patrũ doctrina nixus Iustinianus hæreticorum argumenta refutat.

Sanctorũ Patrum doctrinam per omnia sequendã.

Doctores Ec-
clesiæ sequen-
dos, et hinc ma-
ximè D. Atha-
nasium,

Athanasius
magnus Ec-
clesiæ doctor.

Ab Ecclesia-
stica traditio-
ne non decli-
nandum.

Nota. Ana-
themati etiã
post mortem
subiici posse,
qui traditioni
Patrum re-
fragatur.

S. Patrum re-
uerenda au-
thoritas,

bant quidem, quæ prædiximus, satisfacere
qui nolunt contendere. Postea, Propter
igitur oportebat, eos, si sanctum concilium
Eccl. suscipere, non tales blasphemias enun-
ciare, sed SEQUI DOCTORES CA-
THOLICAE ECCLESIAE, & maxime
sanctum Athanasium, qui fuit Alexandriae
episcopus, & plurimos, & magnos labores
cepit pro recta Christianorum fide aduer-
sus omnem hæresin, & maxime contra impio-
simos Arrianos. Ipsi enim Arrianis ad decipi-
endos populos suo errori cõiungentibus Dionysium
Episcopus Alexandriae, et dicentibus, quod
ipse Dionysius similia eis sapuerit, Athanasius
magnus Ecclesiæ doctor multis modis ostendit
in scriptis, rectam fidem Dionysium ab Arria-
no prædicasse, nulloq; modo participem Arria-
næ impietatis fuisse. Tandem. Quæstione
qua post mortem Cæciliani de eo mota, quod
ab Ecclesiastica traditione declinasse dice-
tur, et propter hoc quibusdam à Catholica Ec-
clesia separatis, scribit ad Bonifacium idem
Iustinus sanctus, quod nõ oportebat aliquem
ideo separare sese à Catholica Ecclesia, si
nim vera essent, quæ Cæciliano inferebantur,
& manifestatus esset contrarium aliquid Ec-
clesiastico statui sapuisse, etiam post mortem
eum anathemati subiicerem.

IUSTIN. IMP. IN AVTH. DE APPEL-
lat. 6. Illud autem. coll. 4.
Veneranda est vetustatis autoritas.

IDEM

IDEM IN PRAEFAT. AVTH. QVOMO-
oport. Episc. & cleric. &c. circa prin. coll. 1.

Benè vniuersa geruntur & competenter, si
sacrarum regularum obseruatio custodia-
tur, quam iusti, & laudandi, & adorandi in-
spectores & ministri verbi Dei tradiderunt A-
postoli, & sancti Patres custodierunt, et expla-
nauerunt.

Rectè omnia
geri si Aposto-
lorum sancto-
rumq; Patrū
traditiones
seruentur.

IDEM IVST. IN §. SED ETIAM.

Auth. eod. tit.

APrecedentibus nos Imperatoribus & à no-
bis ipsis rectè dictū est OPORTERE SA-
CRAS REGVLAS PRO LEGIBVS VALERE.

Patrū tradi-
tio, vim legis
habet.

IDEM IN AVTH. VT CLER. APVD

propt. Episc. prim. conuen. &c.

SACRAS ATQVE DIVINAS REGVLAS
NOSTRAE NON DEDIGNANTVR
SEQVI LEGES.

Patrum ca-
nones ante-
cedere Impe-
ratorū leges.

IDEM IN AVTH. DE ECCLES. TIT.

& priuileg. &c. In princ. coll. 9.

SANCIMVS VICEM LEGVM OBTINE-
RE SANCTAS ECCLESIASTICAS RE-
GVLAS, QVAE A SANCTIS CONCILIIIS
EXPOSITAE SVNT, AVT FIRMATAE,
QVORVM DOGMATA SICVT SANCTAS
SCRIPTVRAS ACCIPIMVS, ET REGVLAS
SICVT LEGES OBSERVAMVS.

Conciliorū
Catholicorū
doctrinā Im-
perator aequè
vt sacrā scri-
pturam acce-
ptat.

IDEM IN NOVELL. CONSTIT.

apud Iulian. Patricium.

Canones Patrum vim legū habere oportet.

Canon vim
legis habet.

IDEM IN CONST. DE ORDI-

nat. Episc. circa prin. coll. 10.

Aa 3

Si ciui-

SI civiles leges, quarum potestatem nobis

Deus pro sua in homines benignitate con-

didit, firmas ab omnibus custodiri ad obedi-

tium securitatem studemus, quanto plus hu-

ius adhibere debemus circa sacrorum Cano-

num & diuinarum legum custodiam, quae

per salute nostrarum animarum definitur.

Qui enim sacros canones custodiunt, Domini

Dei adiutorio digni sunt, qui autem eos trans-

grediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt

obnoxios. Maiori igitur condemnationi sub-

iacent sanctissimi Episcopi, quibus concre-

tum & commissum est, & canones inuicem

& conseruare, si quod eorum praetermissum

fuerit indammatum atque impunitum relin-

quunt. Sanè cum haecenus Canones obseruati

minus rectè fuerint, diuersas ex eo passim

interpellationes contra clericos & Monachos

& quosdam Episcopos, ut qui secundum di-

uinos canones non uiuerent, &c. *Et post patrum*

Si enim illa, quae à laicis peccantur, genera-

les leges non concedunt extra inquisitionem

& vindictam manere: quomodo à sanctis

apostolis & Patribus super omnium hominum

salute canonicè statuta despici poterunt?

IDEM IVSTIN. IN AVTH. QUOMODO

oport. Episc. &c. circ. fin. coll. 1.

NOs qui haec secundum sacrarum regu-

rum & explanationem, Apostolicam

traditionem constituimus, decentem indigni-

tionem praeruaricantibus inferamus, ut nullus

Canones
maiori dili-
gentia quam
leges impe-
ratorum cu-
stodiendos
esse.

Diuino iudi-
cio obnoxij
sunt, qui Pa-
trum tradi-
tionem trans-
grediuntur.

ignoret, quæ à nobis ad honorem & augmentum magni Dei disposita sunt.

DE SANCTORUM

PATRUM CONCILIIIS, ET EPI-

scoporum Synodis provincialibus.

Quoniam sacra concilia sanctorum Patrum doctrina, qui Apostolica vestigia ingressi sunt, prescriptisq; Canonibus magna ex parte consistunt, non ineptè caput hoc de Conciliis illi, quod de Traditione tractat, adiungi posse existimauit: utpotè in quo conciliorum generalium autoritas ab Imperatoribus Romanis ita commendatur, ut sacra scriptura locum illis attribuerint, eisq; vel dicto vel scripto repugnantes, non modò hæreticos & schismaticos pronunciauerint, sed etiam grauissimis pœnis adiudicauerint, ut ex sequentibus eorum legibus satis patebit. Ad imitationem porrò vniuersalium conciliorum provinciales Episcoporum Synodi celebrari ceperunt: itaque huic capiti illarum quoque compendiosam tractationem annectere placuit. Cùm enim ab initio nascentis ecclesie Christianitas angustis ad huc contineretur finibus, siquid tùm malè conceptis in populo Dei opinionibus controuersie exortum esset, id per Apostolos atque seniores collatis inter se consiliis compositum est. Postquàm autem Ecclesia per orbem latè diffusa & propagata, varij hinc inde abusus, & Ecclesiasticarum vel personarum, vel rerum sese exereret defectus atq; vitia, quorum causa, tùm ex hominum corrupta natura passim acciderent, propter sui molè Ecclesie cœtus, nisi vniuersæ Chri-

A 4 stianitatis

Concilia, ut
sacrae literæ
velent.